



IN COMMENTARIUM
 EPISTOLÆ SANCTI PAULI AD ROMANOS
 DE
 NOVO TESTAMENTO
 D. nostri Iesu Christi

Ad auditores

PROOEMIUM.



TRANSITURO mihi, auditores, jussu & auctoritate Superiorum, qui me DANIELI TOSSANO theologo & professori celeberrimo, cui anno præterlapso hac ipsa die Iduum Janu: academia mæsta parentavit, in professione superiore succedere voluerunt: transituro, inquam, mihi à veteris ad novi testamenti interpretationem, de NOVO TESTAMENTO futuræ professionis subjecto aliquid præfandū esse video, quo studiosam juventutem de eximia ejus dignitate atque præstantia commonefaciam, & ad sedulam auscultationem exfuscitem. Id dum facio, non oratione ad apparatus aut delectationem composita, sed sermone simplici ad doctrinam & memoriam rerum comparato, ut me patienter & attente audiatis oro.

AC PRIMUM, quoniam me chronologica sacra vehementer delectant, & iisdem S. theologiæ studiosos vehe-

Amenter delectari velim: quippe quæ historiæ & doctrinæ sacre quasi facem lucidissimam præferunt: quemadmodum ante menses septem post absolutam Genesios interpretationem, cum Hoseæ prophetiam explicandam aggrederer, auditores commonefaciebam de saltu *ἔρονια* annorum 856. quem tum ab obitu Josephi ad principium ministerii Hoseæ faciebam: ita non possum, quin vos iterum commonefaciam de saltu temporis longè majore, quem nunc facturi sumus in sacra Chronologia, quando à Vet. Testamento ad novum transibimus.

Δ αθηκλω κεκυρωμενω τω θεω εις χριστον Gal. 3. 17.
 hoc est, testamentum nempe vetus, confirmatum esse à Deo in Christum ante latam legem annis 430. ait apostolus. Ea *κυρωσις* facta est Abrahæ anno post egressum ex Haran decimo, ætatis 85. ante circumcisionem 15: mundi 2093. & describitur a Mose Gen. 15. v. 18. ubi dicitur: *Die illo pepigit Jehova fœdus cum*

b